

www.e-rara.ch

Theatrum concionum sacr. topicum

Theatri concionum sacr. topici theoretico-practici pars VI - de lege naturae et divina: in specie, de Mosaica morali, ceremoniali, & huius typis ad Christum personalibus & realibus : in specie, de Mosaica morali, ceremoniali, & huius typis ad Christum personalibus & realibus ... : cum adiectis

...

Anhorn von Hartwiss, Bartholomaeus

Basileae, Ann. 1686

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-79975>

Concio XI

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

cupaturi, & caelestibus gaudiis fruituri in æternum. Deo Patri, Filio & Spiritui S. sit laus, honor & gloria in secula, Amen.



Libri I. Cap. XVI.

DE SERVATORIS NOSTRI
JESU CHRISTI
NATIVITATE.

CONCIO XI.

Angeli narratio de nato Servatore.

Luc. 2. v. 10.

Natum vobis hodie esse Servatorem, qui est
Christus Dominus in urbe Davidis.



um Abrahamo centum annos nato, Sara uxor nonagenaria, filium peperisset, effusè lætata in hæc erupit verba, Gen. 21.6. *Risum mihi fecit Dominus: quisquis audiet, aridebit mihi.*

Meritò idem dicimus, quando ineffabile Dei Opt. M. beneficium memoriâ recolimus, quòd æternus Dei filius, ex Maria Virgine salutis nostræ causâ, verus homo in hanc lucem natus est, jure meritoque dicimus: *Risum fecit nobis Dominus.*

Per lapsum Protoplastorum ex Paradiso felicitatis ejecti eramus in vallem lachrymarum, *sedebamus in tenebris & umbra mortis.* Panis lachrymarum cibus noster erat, & de lachrymis triental bibebamus, Psal. 80.6. *quaquaversum oculos convertebamus, lachrymarum causa erat obvia.*

E Paradiso eramus ejecti: Cherubini hortum custodiebant, ut ab ingressu in illum, nos arcerent.

Q999999

Serpens

Serpens passim insequatur, omnia Evæ matris nostræ vestigia observabat, & tandem *virus suum per fraudulentam deceptionem & seductionem, in illam, & nos, illius posteros, nefario conatu evomit.*

Propter miserabilem hominis lapsum, terra, habitaculum nostrum, à Deo justo iudice, *maledicta, non nisi tribulos, spinas & carduos jam producit.* In sudore vultûs nostri, pane nostro nunc vesci cogimur, qui pluribus non rarè parcè suppetit.

Omni rerum abundantia, quæ suppetebat affatim, jam sumus spoliati. Corpore nudi ingredimur in mundum, *miserè vivimus, & tandem cum dolore & cruciatu morimur.*

Sana mentis luce destituimur, voluntatis rectitudine orbat, affectibus nonnunquam ad deteriora rapimur: in summa, arumosi sumus, miserabiles, puerperes, cæci & nudi. Apoc. 3. 17.

Sed nobis in hac miseria existentibus, & quò nos verteremus nescientibus, *risum fecit Dominus.* Sara jam vetula Abrahamo parit Isaacum. Nobis in provecta Mundi ætate Maria Virgo, Filium Dei, verum hominem Servatorem nostrum. *Verè risum fecit nobis Dominus.*

Hanc *Servatoris nativitatem*, aliquot antè seculis Zacharias prædixit, & filiam Zionis Ecclesiam, ad risum & lætitiã exhortatur, c. 9. v. 9. *Exsulta valdè filia Zionis, clange filia Hierosolyma, ecce Rex tuus advenit tibi, justus & salute præditus est.* Et Angelus, cælestis nuntius, quàm primùm hic Servator natus fuit, Pastoribus in agro hoc Evangelium, & magnum gaudium annuntiat, quod omni populo futurum sit. *Risus ergò sanctus, & gaudium pium omnium electorum Dei filiorum Jesus Christus est, recens natus Mundi Servator.*

In Angelica Nativitatis Christi annuntiatione consideravimus hæctenus

Exordium & Propositionem:

Sequitur

III. Narratio, v. 10. Natum esse vobis hodie Servatorem, qui est Christus Dominus in urbe Davidis.

Arrigite aures, quorquò sanctum ex Nativitate Christi, gaudium in animis vestris concipere desideratis: Audite Angelum concionantem: *Natum esse vobis hodie Servatorem, qui est Christus Dominus in urbe Davidis.* Hæc narratione Angelus Domini in fasciculum cogit omnia vaticinia Prophetica V. T. quæ quadraginta seculis, inde à mundi principio, de Christi Servatoris nostri persona, officio, Nativitate, ejus loco, fructu, bene-

Et, beneficiis &c. prolata fuerunt. Natus est vobis hodie Servator &c. quasi diceret: Hodie natus est ille, qui est semen mulieris Gen. 3. 15. semen Abrahami, Isaaci, Jacobi. Gen. c. 12. 18. 22. 26. 28. Hodie natus est Sibilus, cui adherent Populi. Gen. 49. 10. Hodie natus est à Virgine Immanuel. Esa. 7. 14. Dux pacis. Esa. 9. 6. Dux vite, cujus diem Abraham vidit & lætatus est. Joh. 8. 56. cujus salutem Jacob expectavit, Genes. 49. 18. in cujus nomine Daniel oravit. c. 9. cujus adventum anxie David desideravit, Psal. 14. 7. & totus Populus Israeliticus Esa. 45. 8. Rorate celi &c. Quin & ipsæ Gentes, unde desiderium illarum dicitur, Hagg. 2. 8.

Significanter autem explicat Angelus

I. *Quis sit natus?*

II. *Cui sit natus?*

III. *Quando sit natus?*

IV. *Ubi sit natus?*

A. *Quis natus?* Natus est Filius Dei, Homo verus ex Virgine, quem Angelus vocat

I. *Ab officio, Servatorem
& Christum.*

II. *A Persona, Dominum.*

✱. *Ab officio nominat SERVATOREM. Natus est vobis hodie Servator. Sub hoc Servatoris nomine, omne comprehendit bonum, quod cuiquam hominum ad excitandum in illo verum & solidum gaudium conferri potest. Perditor vicissim omne gaudium perturbat.*

Diabolus Abaddon, Apollyon, perditor Apoc. 9. 11. appellatur, quia Rex locustarum & Angelus abyssi, author est omnis in Mundo grassantis mali, peccati, mortis, æterni exitii.

Christo verò SERVATORIS nomen datur, quia Author est redemptionis nostræ, Col. 1. 13. Author justitiæ. Dan. 9. 24. 1. Cor. 1. 30. Author vitæ Joh. 14. 6. 1. Joh. 5. 20. largitor spiritus s. Zach. 12. 10. Joh. 20. 22.

Δ. *Inter beneficia Dei humano generi collata, præ ceteris eminent Christi Servatoris nostri Nativitas.*

1. *Quia magna est hujus necessitas*: Non enim poteramus Dei filii fieri, nisi Dei filius factus fuisset hominis filius.

2. *Quia magna est hujus dignitas*. Magnum fuit opus creationis, sed majus est opus incarnationis & natiuitatis filii Dei, in quod Angeli introspicere desiderarunt. 1. Petr. 1. 12. & cum introspeXissent, hoc euangelium nobis annuntiârunt. Quemadmodum verò propter Natiuitatem Christi gaudium exortum fuit in cælo & in terra, inter Angelos & homines, ita vicissim infernus contremuit, & Sathan ingemuit, propter genus humanum sibi ereptum. Luc. 11. 22.

3. *Quia magnum & ineffabile est mysterium*. 1. Tim. 3. 16. quo Creator fit creatura, quo invisibilis fit visibilis, incorporeus carnem assumit, incomprehensibilis materno comprehenditur utero, cæli & terræ Dominus, infans in complexu Matris vagit. Duplex hic mysterium apparet, Unum, quòd Virgo concepit & parit: alterum, quòd Dei filium hominem parit, adeoque virgineus partus Deiv^o & existit.

4. *Quia natiuitatis Christi magna est utilitas*. Servator nobis hodie natus est Filius Dei, de quo Rom. 8. 32. Deum nobis filium suum donasse, & cum eo omnia,

Populus Dei in V. T. suos etiam habuit *Servatores*, velut *Josuan*, qui Populum introduxit in terram Canaan.

Ehudem, qui Eglonem Regem Moabitarum, tyrannum, & Populi Dei hostem, interfecit.

Gideonem, qui Populum Dei è tyrannide Midianitarum liberavit.

Simsonem, & plures alios. Sed isti corporales tantum fuerunt *Servatores*, per quos Deus Populo suo corporalia præstitit beneficia. *Jesus* verò *Servator* est *Animarum*, Salus Dei, Esa. c. 49. 6. Magister salutis, *Servator* corporis & animæ. Esa. 63. Illi famuli fuerunt, & *Christi* typi; hic *Antitypus* & *Dominus*.

Quia verò *Christus* *Servator* est *Corporum* & *Animarum*, videbimus

I. *A quo malo seruet?*

II. *Quomodo?*

Aa. A quo malo seruet? Ab omni.

a. *A peccatis*, quorum Servi eramus. Rom. 6. 18. sub ea v^o nundati. Rom. 7. 14. Peccatum dominabatur nobis ad mortem. Rom.

Rom. 5. 21. à Deo segregavit, Es. 59. 2. Paradiso exclusit, Gen. 3. 24. preces impediit. Joh. 9. 31. & titiones infernales fecit. Esa. 66. 24. *Sed fortia peccati hujus vincula Christus discidit.* 1. Petr. 1. 18. Esa. 43. 25. Gal. 2. 20.

β. *Ab Authore peccati Satana.* Hic primos nostros Parentes seduxit. Gen. 3. 1. seqq. Cainum : Aborigines, Sodomitas, Saulum, Judam, Julianum. Et hodie adhuc efficax est in filiis contumaciæ, Eph. 2. 2. Perdita cupit Imperia, Regna, Respublicas, Ecclesiam, œconomias : ejectum in corda hominum verbi Divini semen suffocat. *Sed Christus Servator noster Serpenti caput contrivit* Gen. 3. 15. fortem armatum superavit, Luc. 11. 22. opera Diaboli destruxit. 1. Joh. 3. 8. Principem Mundi ejecit, judicavit. Joh. 16. 11. conculcat illum sub pedibus nostris. Rom. 16. 20.

γ. *Ab omnibus malis corporalibus & spiritualibus atque aternis. Liberabit enim nos ab ira ventura.* 1. Theff. 1. 10. Rom. 5. 10.

Maledictionem Legis commertitam sustulit. Gal. 3. 13.

Morti potestatem suam eripuit. Hebr. 2. 14, 15. 2. Tim. 1. 10.

Hof. 13. 14.

Ex infernali lacu, in quo nulla vel solatii, vel auxilii erat aqua, nos eduxit. Zach. 9. 11. *Calamitates temporales omnes sanctificavit, ut non obsint, sed profint.* 1. Cor. 11. 32. atque ex his suo tempore, plenariè nos eripiet, & regno suo cœlesti servabit, 2. Tim. 4. 18. Esa. 35. 10.

En, quàm verè Angelus magnum annuntiavit gaudium, natum esse Servatorem.

Ufus Informativus.

Hinc fides nostra in Christum Servatorem nostrum confirmatur. Hic Deus est & Homo, ac proinde potentior virtus illius, quàm omnis humana, quæ servat à peccatis, Satana & omni malo.

Cœci Gentiles ante Christi in carnem adventum, Divinitatem sado lacerabant. A Minerva & Pallade petebant sapientiam : à Nemese justitiam : à Jove dignitates : ab Hymenæo nuptias : Gratiam à Venere &c. Nos hæc & reliqua omnia à Servatore nostro Jesu Christo, quo nato, Gentilia oracula conticuerunt, & clamor atque gemitus in Insulis Echinadibus exauditi : *Magnam Pava mortuum esse.*

Ufus ad Consolationem.

In Calamitatibus, tentationibus & morte, quòd Christus Servator noster est. Rom. 8. 33, 34. item v. 35-38. 1. Joh. 2. 1, 2. Joh. 5. 24.

Q999999 3

Ufus

Ufus ad Exhortationem.

1. *Confugiamus ad hunc Servatorem in omni casu.* Oremus ut seruet. Matth. 14. 30. ut fidem nostram adaugeat. Luc. 17. 5. ut Spiritum firmum intra nos renouet. Ps. 51. 12. ut convertat nos. Jerem. 31. 18. ut nostri meminerit in regno suo. Luc. 23. 42.

2. *Gratias illi agamus pro parte salute,* Psalm. 116. 11. *Quid retribuemus tibi, ô Jesu, Servator noster? Tu fecisti nos, cum non essemus: Tu redemisti, cum periissemus. Perieramus & mortui eramus, tu ad nos descendisti, mortalitatem suscepisti, & in tantum nos dilexisti, ut sanguine proprio redimeres, & Deo atque saluti aeterna adduceres.*

Bb. Quomodo seruet? Perfectissimo suo merito, & meriti efficacia.

1. *Perfectissimo suo merito: quo aufert à nobis, quod nostrum est, nempe Peccatum & Peccati pœnam: Atque donat, quod suum est, nempe id omne, quod salutis nostræ causâ fecit & passus est, quo ipso nobis meritis est liberationem ab æterno exitio, & jus vitæ æternæ.*

Ad hoc meritum ejus, pertinet sanctissima illius conceptio & nativitas: justitia activa, seu vita sanctissima, & justitia passiva, seu innocentissima passio & mors. Hoc suo merito acquisivit nobis

a. *Remissionem peccatorum, quæ in nobis dominabantur usque ad mortem, Rom. 5. 21. Ipse verò in libertatem filiorum Dei nos asseruit. Joh. 8. 32.*

b. *Spiritum S. qui est Spiritus adoptionis nostræ, in nostro in Christianismum ingressu. Rom. 8. 15. Spiritus Gratia & precum in progressu, Zach. 12. 10. Et Arrha salutis in egressu ex hac vita. 2. Cor. 1. 22.*

c. *Vitam æternam, ubi pulchritudo loci, beatorum Angelorum & Hominum consortium, & felicitatis illius æterna duratio, omnem hîc perpeſſam calamitatem, tristitiam & mortem abundantissimè compensabit, quia ibi æternam redemptionem habituri erimus. Hebr. 9. 12. liberati è manu omnium hostium nostrorum. Luc. c. 1. v. 71.*

2. *Perfectissimi meriti sui efficacia & certissima applicatione, quæ ex sequentibus colligitur.*

a. *Ex efficaci vocatione juxta propositum Dei. 2. Tim. 1. 9.*

b. *Ex dono justificationis, quæ salutis nostræ prora est & puppis, in qua impuras peccati vestes, Zach. 3. 3. tunicam carnis contactu commaculatam Judæ v. 23. exuimus, & togam salutis, vestemque*

que justitiæ, Esa. 61. 10. induimus, hoc est, peccatorum remissione gratuita impetratâ, Esa. 44. 22. Mich. 7. 19. justitiâ coram Deo valente donamur. Dan. 9. 24. Rom. 3. 25, 26.

γ. Ex dono fidei salvificæ, qua Christum, omniaque illius merita atque beneficia apprehendimus. Phil. 1. 29. Eph. 3. 17.

δ. Ex dono Regenerationis atque sanctificationis, quâ convertimur à malo ad bonum, à tenebris ad lucem &c. Act. 26. 18. ut fiamus novæ creaturæ in Christo Jesu. 2. Cor. 5. 17. Tit. 2. 12.

ε. Ex dono perseverantiæ, quâ in statu gratiæ conservamur, & virtutis Dei præsidio per fidem ad salutem custodimur, 1. Petr. 1. 5. Luc. 22. 32.

ς. Ex dono glorificationis: anima post mortem corporis, quando cum Christo futura est in Paradiso. Luc. 23. 43. & ipsius corporis per resurrectionem in ultimo die. Joh. 5. 29. Phil. 3. 20, 21.

Ulus Informator.

Recens nato Servatori nostro, tota salus nostra merito est transcribenda & accepta ferenda, & quidem hujus initium, progressus & complementum.

aa. Salutis initium, seu liberatio à peccati reatu, ne nobis imputetur: à peccati pœna, ne nobis infligatur, & à peccati dominio, ne in nobis, sicut in impiis regnet. Eph. 2. 8-10.

bb. Salutis nostra progressus. Phil. 1. 6.

cc. Salutis nostra complementum. 1. Petr. 5. 10. Joh. 10. 28.

O misericordem, sapientem, promptum & potentem Servatorem! Servator est solus, unicus, verus & perfectus. Act. 4. 12. Esa. 63. 1. Hof. 13. 9. Cornu salutis. Luc. 1. 69. Quisquis in hunc credit, non præfestinabit. Esa. 28. 16.

Ulus ad Elenchum

1. Illorum, qui extra & præter Christum alios fingunt Servatores, & Mediatores, sive redemptionis sive intercessionis. Necesse enim est, aut Jesum non esse perfectum Servatorem, aut, qui eum Servatorem verâ fide amplectuntur, omnia in ipso possidere, quæ ad salutem requiruntur. Tantum illius honori derogatur, quantum aliis tribuitur, qui tantam intercessores nostri invocantur.

2. Illorum, qui dicunt, Christum pro culpa tantum nostra justitiæ divinæ satisfecisse, non pro pœna: Pœnæ reatum per homines ipsos esse expiandum, aut in hac vita satisfaciendo, aut in altera, post hanc, vitæ pœnas purgatorii sustinendo. Utriusque hujus erroris rei sunt Pontificii.

3. Judæo-

3. Judæorum, qui Christum Servatorem negant, & quamvis plurimi Pseudo-Messiaë illos jam deceperint, ad fidem tamen Christi veri & perfecti Servatoris converti, in propriam suam perniciem, recusant.

Uſus ad Exhortationem.

Servatorem hunc nostrum dignè veneremur, & salutem in eo solo unicè quæramus, qui iræ divinæ torcular solus calcavit. Esa. 63.3. qui solus, unicus est Mediator Dei & hominum 1. Tim. 2.5. in quo solo omnia nobis ad salutem necessaria reperimus, Joh. 14.6. qui totum fundamentum est salutis, quia in illius merito & meriti efficacia, tota Ecclesiæ fundatur salus.

Uſus ad Consolationem.

Quia Mariæ filius Bethlehemi natus, solus unicus & perfectus Servator noster est.

a. *Medicinam affert contra peccata. Act. 10.43. Jerem. 3. 23. Hic enim Legem Dei pro nobis implevit, virgam exactoris confregit, & peccatorum chirographum delevit, ita, ut nulla nunc in nobis sit, condemnatio, qui sumus in Christo Jesu. Rom. 8. 1. Nulla peccati species est, quâ non superior sit Servator. Orig. Major est Servator noster ad nos protegendum, quàm Diabolus ad tentandum. Cyr.*

b. *Tentamur à Satana? Servator fortis ille Leo est ex Tribu Juda, qui Diabolum infernalem illum Leonem debellavit & exarmavit. Apocal. 5.5.*

c. *Affert consolationem.*

1. *In precibus. Confidamus huic Servatori, exaudiet preces nostras Joh. 16.23. Fratres Josephi sine Beniamino in conspectum Josephi prodire non audebant, sic neque nos in conspectum Dei Patris sine Fratris nostro Christo. Cur Sanctos invocaremus? Hic Servator ad se vocat. Matth. 11.28. Ipse Pontifex noster *συνμαρτυρὸς* est, Hebr. 4.16. Admetus Rex Molossorum Themistoclem in gratiam recepit, cum ei irato filium ostendisset, sic Deus. Rom. 8.32.*

2. *In Calamitatibus. Servator Frater noster est. Hebr. 2.17. Amicus fidelis Cant. 2.10. Sponsus desiderabilis, Hof. 2.19. Dei filii sumus Joh. 1.12. domestici Eph. 2.19. pupilla oculi, Zach. 2.8. coheredes. Rom. 8.17. Accedant igitur tristes, ut consolationem accipiant, pauperes, ut ditescant, nudi, ut operiantur, oppressi, ut serventur.*

d. *Affert præsentissimum adversus mortem antidotum.*

Wann unser Verstand sich nicht mehr b'sinnt /
 Und uns all menschlich Hülff zerzinnt:
 So komt der HErr Christ uns behend
 Zu hülff an unfrem letzten End.

Hic Servator noster lux nostra est in Mundi tenebris, via in
 deviis, veritas in dubiis, vita in morte. *Hunc alloquamur*, O dulcis
 Servator Jesu:

Ich bin ein Glied an deinem Leib /
 Des tröst ich mich von Herzen:
 Von dir ich ungeschriben bleib /
 In Todes-noth und Schmerzen.

Ego membrum sum tui corporis, qui nec mortis doloribus
 me à te separari patiar. Item

O du süßer Jesu Christ /
 Daß du ein Mensch geboren bist /
 Behüt uns für der Höllein.

O dulcissime Jesu Christe, qui humanam nostram naturam assum-
 pisti, præserva nos ab inferni cruciatibus.

*Ab officio, præterea sanctus Angelus Servatorem nostrum nomi-
 nat CHRISTUM. vers. 10. Natus est vobis hodie Servator, qui est
 Christus.*

Quemadmodum vox Servatoris v. 10. *Natus vobis est Servator*, omne
 complectitur BONUM, ex quo verum & solidum gaudium fidei
 Christiano enascitur, ita idem BONUM vox Christus quoque com-
 plectitur.

CHRISTUS vox Græca est, quæ significat UNCTUM, idemque sonat, quod vox Hebræa MESSIAS. Ita Andreas inter-
 pretatur Joh. 1. 42. qui fratri Simoni Petro dixit, *Invenimus Messiam il-
 lum, quod est si interpreteris, Christus ille.* Et Samaritis illa Joh. 4. 25.
Scio Messiam venturum, qui dicitur Christus.

In V. T. Christi & Messia mentio sæpius fit. Psal. 45. 7. 8. *Sceptrum
 directum est Sceptrum Regni tui, propterea unxit te, o Deus, Deus tuus oleo gau-
 dii præ consortibus tuis, ubi voces unctus, Messias & Christus, idem sonant.*
 Confer Ps. 2. 2. Dan. 9. 26. & in N. T. Matth. 1. 16. Act. 2. 36. Hinc
 fuit Doctrina, ipsis ferè textus, hoc est, sancti Angeli verbis ex-
 pressa.

Δ. Puerulus Bethlehemem à B. Maria Vir-
 gine

gine natus, Christus est, hoc est, verus Messias,
 Patribus V. T. promissus, ab ipsis magno cum desiderio expectatus,
 & tandem in plenitudine temporis præstitus, de quo verissimè An-
 gelus v. II. *Natus vobis hodie Servator, qui est Christus.* Probamus hanc
 doctrinam

I. Ex *συνηγορίᾳ* V. & N. Test.

II. Ex *patefactionibus particularibus*, quòd Jesus Nazarenus sit
 Messias ille olim promissus & tandem præstitus.

Doctrina hæc diligenter & accuratè excutienda est, *propter cæcos*
& obstinatos Judæos, quorum alii Messiam venisse negant: alii venisse,
 non quidem dissentent, sed patefactum esse perveraciter infician-
 tur, includentes eum, nescio quibus Coryciis specubus Paradisi, de-
 ferti, Oceani, Romæ. &c. *Nonnulli duos Messias comminuntur, alterum*
filium Josephi ex Tribu Ephraim, in bello contra Gogum & Magogum
 occidendum: *alterum filium Davidis* perpetuò victorem & felicem, qui
 priorem sit in vitam revocaturus. Ita eludunt, quæ divina oracu-
 la de Messie statu tum humili, tum glorioso, prædixerunt. *Com-*
muniter omnes non solum impudenter, sed etiam blasphemè Jesum
 Nazarenum, Bethlehemitè Virgine natum, rejiciunt & abominantur:
 nihilque magni & divini à suo Messia expectant, cum illum Regem
 solum faciant terrenum, qui Gentem suam post longa exilia libe-
 raturus, & ipsis paulò ante Mundi finem, terram Canaan, cum Tem-
 plo & Sceptro suo sit redditurus, & quadraginta annos imperatu-
 rus: unde etiam pro Messie caractere habent, non cælestem do-
 ctrinam & divina miracula, sed solum felicitatem externam, belli
 gloriam, & Gentis suæ liberationem.

Nos Messiam Patribus in *Vet. T.* promissum venisse, eumq; Puerum Beth-
 lehemi natum, atq; ab Angelo Pastoribus patefactum, esse, *Luc. 2. 10, 11.*
 probamus,

1. Ex *συνηγορίᾳ* V. & N. T. *Christus enim ipse ad Scripturas V. Test.*
remitit, Joh. 5. 39. quas de se testari docet: & cum Paulus & Silas
 Evangelium de Jesu Christo prædicassent, Judæi Thessalonicenses
 generosiores quotidie Scripturam examinârunt, an hæc ita se habe-
 rent, hoc est, oracula Scripturæ de Messia edita contulerunt cum do-
 ctrina, vita & gestis Christi, ex quorum collatione illum pro Messia
 agnoverunt, & in ipsum crediderunt. *Quæcunque enim Vetus Testamentum*
de Christo Messia, vel Servatore prænuntiat, ea Novum in Puerulo Bethlehemitico,

vel Jesu Nazareno adimpleta esse confirmat, juxta illud Augustini: *Novum Testamentum in Veteri latet, & Vetus in Novo patet.*

Vetus Testamentum erudit nos de Messia Persona, officio, profapia, Matre, Prodromo, tempore adventus, loco nativitatibus educationis & doctrina, de ejus miraculis, passione, morte, resurrectione, ascensione in celos, sessione ad dextram Patris, missione Spiritus Sancti, propagatione Evangelii, & collectione Ecclesie.

Omnia hæc & singula, in solo Jesu Nazareno, quem Angelus hoc loco annuntiat: Natus est vobis hodie Servator; exactissime impleta esse, historia Novi Testamenti, solidissime docet & evincit. Investigabimus singula, quod magis in fide Christiana confirmemur.

a. Persona Messie in V. T. describitur Deus; homo: Dei filius: Hominis filius.

DEUS, sive Jehova exercituum, Esa. 8. 13, 14. *Jehovam exercituum ipsum sanctificate &c.* Per Jehovam Messiam intelligi ex v. 14. manifestè apparet, quando Populo Dei sanctificationi futurus esse dicitur, & ambabus domibus Israelis in lapidem allisionis & rupem offensionis, quod ipsum de Puerulo Bethlehemitico, Simeon Luc. 2. 34. testatur. Confer Jer. 23. 6. & c. 33. 16. Quod ipsum Dei & Jehovæ nomen Jeshu Nazareno proprium est, Rom. 9. 5. Tit. 2. 13. 1. Joh. 5. 20.

DEI FILIUS. Pl. 2. 7. Prov. 8. 23. *Talis Jeshus dicitur*, Luc. c. 1. 32. Joh. 10. 37.

HOMO. Esa. 9. 6. *Puer natus nobis, filius datus nobis, cujus humero adsit principatus ipse.* In quem locum Eusebius Emyssenus Homil. 1. de Nativ. Christi commentatur: *Propheticus hic sermo Dei & homini videtur expressisse personam. Manifestum hominem demonstrat humerus, latentem Deum loquitur Principatus.* Esa. 7. 14. *Messia, nomen imponitur Immanuelis, hoc est, nobiscum Deus, quo docetur fore Θεάνθρωπον.*

Humanitatem Jeshu loquitur ejus Nativitas, vita, passio, mors, unde etiam

HOMINIS FILIUS Daniel. c. 7. 13. dicitur, & passim in historia Evangelica.

ΘΕΑΝΘΡΩΠΟΝ esse, tota historia N. T. testatur, & cum primis adscripta illi *Σοφία λέγει μάλιστ' Θεάνθρωπος.* Act. 20. 28. 1. Joh. 1. 7. Hebr. 9. 14.

b. De Officio Messie Vetus Testamentum docet,

α. In genere, illum fore

aa. Reconciliatorem generis humani cum Deo. Esa. 59. 20.

R E E E E E 2

bb. Recon-

bb. *Contritorem Capitis Serpentis*. Genes. 3. 15. qui non alius est quàm Christus. Luc. 11. 22. 1. Joh. 3. 8.

cc. *Unctum Domini*, 1. Sam. 2. 10. *Extollet Jehova Cornu uncti sui*, Pf. 2. 2. Dan. 9. 24. *Jesum Nazarenum, hunc unctum Domini esse, probatur* Luc. 4. 18. 21.

β. *In specie, quodd futurus sit*

Magnus Propheta. Deut. 18. 15, 18. *Doctor erudita lingua* Es. 50. 4. *Sacerdos*. Pf. 110. 4. Zach. 6. 13.

Rex Populi sui. Pf. 2. 6. Mich. 4. 7. Non autem terrenus, verum spiritualis, cælestis & æternus. Zach. 9. 9. Hof. 1. 7.

Hæc omnia *in nato Bethlehemi Servatore impleta esse*, totum Novum Testamentum docet, quod ipsum nobis contemplandum & venerandum sitit,

Magnum Prophetam, & voluntatis Patris cælestis Doctorem. Joh. 1. 18. Hebr. 1. 1. Marci 1. 21, 22, 38, 39.

Sacerdotem fidelem. Hebr. 9. 12, 14, 26. c. 10. 14. Eph. 5. 2, 26.

Regem spiritualem, Joh. 8. 36. Apoc. 19. 16.

c. *Genere & prosapia Messias oriundus erat ex Adamo, in cuius lumbis etiam, perinde ut nos, inclusus erat naturaliter, etsi non federaliter, unde non Semen Adami sed Mulieris Gen. 3. 15. dicitur: præterea ex Abrahamo Gen. 22. 18. ex Isaaco Gen. 26. 4. ex Jacobo Gen. 28. 18. ex Tribu Juda. Gen. 49. 10. ex familia Davidis & Salomonis. 2. Sam. 7. 12. Pf. 132. 11. sed jam attenuata, Esa. 11. 1.*

Novum Testamentum, Christum Bethlehemi Servatorem natum, probat esse filium Adami, Luc. 3. 38. ex Abrahami, Isaaci, Jacobi, Judæ, Davidis & Salomonis Posteris oriundum, Matth. 1. 6, 16. & familiâ quidem Davidis ad extremam paupertatem redactâ, quia Maria Virgo, Josepho, fabro lignario, ex eadem stirpe oriundo, nupsit, unde Euseb. 1. 3. Hist. Eccl. c. 15. narrat, Domitianum Imperatorem, omnes ex stirpe Davidis Posteris tolli iussisse. Cùm autem Conobrii Christi, ex ea familia nati, Judæorum malitiâ ad eum fuissent adducti, se quidem ex stirpe Davidis oriundos, confessos esse, sed propter vilissimam ipsorum conditionem & paupertatem, à Domitiano incolumes dimissos esse.

d. *Messa Mater, Virgo dicitur, Esa. 7. 14. Hic locus in N. Test. Matth. 1. 21, 22. allegatur ab Angelo, & Luc. 1. 27. seqq. narratur, Angelum Gabrielem ad Virginem Mariam cælestis fuisse missum, qui illi annuntiârit, ipsam Virginem ex obumbratione Spiritûs Sancti concepturam, & filium parituram, qui magnus & filius Altissimi sit futurus. Quomodo*
Mariæ

Mariæ Matris virginitas Sacerdotum collegio, filio jam adulto, innouerit, jam supra pag. 982. ex Mornæo recensuimus.

e. De Prodomo Messiae in V. T. multa leguntur, quod sit futurus vox clamantis in deserto. Esa. 40. 3. Angelus viam Domino expediens. Malach. 3. 1. Elias. Mal. 4. 5. quem Christi prodromum, Novum Testamentum dicit fuisse Johannem Baptistam, quem appellat vocem clamantem in deserto. Matth. 3. 3. Joh. 1. 23. qui praeiverit in Spiritu & virtute Eliae, Luc. 1. 15, 16, 17. Matth. 11. 14.

f. De Tempore adventus Messiae vaticinabatur V. T. venturum;

Post ablationem Sceptri à Juda. Gen. 49. 10.

Post quatuor Regnorum, à quibus Populus Dei in V. T. graviter affligebatur, interitum, Dan. 2. 44. & c. 7. 26, 27.

Post 70. septimanas Danielis, c. 9. v. 25, 26.

Stante Templo secundo. Hagg. 2. 10. in ultima tamen Mundi aetate. Es. 2. 2. Novum Testamentum, & tota Pueri Bethlehemicici historia luculentissime testatur, adventum ipsius in isthac à Prophetis determinata tempora incidisse. Nam cum Christus nasceretur

scilicet Sceptrum à Juda fuit ablatum, quod Judæorum, per Augusti Cæsaris Praefectum in Judæa, Civium & illorum facultatum descriptio evidentissime docet. Luc. 2. 1. *Isthac ablatio sceptri Judaici Regni Christi fuit fundatio.* Respublica Judaica primum instituta fuit, ad tribum illam cum primis conservandam, ex qua Messias erat oriturus, unde nec Respublica everti, nec Tribus illa, ante Messiae adventum, confundi potuit. Sub tempora verò adventus Messiae, ablatio illa sceptri à Juda, non uno momento facta est, sed paulatim & successive, primò sub Pompejo M. 60. annis ante Christum natum, qui Judæam, sub potestatem Romanorum primus redegit: Deinde circa Ann. Christi 10. quo tempore, Archelao, Herodis Ascalonitæ Filio, à Judæorum Proceribus crudelitatis & libidinis accusato, atque ab Imperatore Viennam, Galliae urbem, relegato, Judæa in formam Provinciae Romanae redigebatur: & tandem circa annum Christi 72. quo tempore Hierosolyma excisa, Templum exustum, Populus dissipatus & tota Respublica Judaica ita eversa fuit, ut Judæi septemdecim integra secula, nec Regem nec Principem ex Israëlè amplius habeant, ex quo indubitato colligitur, Messiam jam pridem venisse, eo nempe tempore, quo Sceptrum à Juda auferebatur.

§§. Quatuor Regna Danielis, quibus quintum Christi spirituale & æternum per totum orbem succedere debebat, jam fuerunt destructa,

destructa, nempe *Babylonicum, Perso-Medicum, Græcum, & Syro-Ægyptium Seleucidarum & Lagidarum*. Regnum *Babylonicum* destructum est per Perso Medos, *Perso-Medicum* per Græcos: *Græcum* per Seleucidas & Lagidas, sive *Syro-Ægyptios*. Seleucidis Regnum eripuit Pompejus M. Lagidis Cæsar Augustus, quibus Regnis destructis, Deus cæli, *Regnum Messia*, qui lapis fuit sine admota manu, è cæli monte ruens, & mons magnus factus est, in toto terrarum orbe, per *prædicationem Evangelii plantavit*. Dan. 2. 44. seqq. quod in æternum non erit dissipandum, utut furat orbis & orcus. Matth. 16. 18. Aurum, argentum, æs, ferrum & lutum, regna mundi adumbrant, quæ valde diversi pretii, valoris, & durationis sunt: sed *regnum Messia βασιλεία* est αἰώνια. Hebr. 12. 28. quod quidem ab hostibus concutitur, sed nunquam evertitur. Psal. 46. 2-8.

γγ. Venit *Messias exactis septuaginta septimanis Danielis*. Dan. c. 9. v. 24, 25, 26. *Septuaginta septimane decisa sunt &c.*

Scopus hujus per Angelum factæ promissionis fuit, *Populum Dei in durissima captivitate Babylonica consolari, & fidem ejus confirmare*, non tantum captivitatis finem designando, sed longè excellentiorem redemptionem pollicendo, quæ post longius intervallum, non septuaginta annorum, sed septuaginta septimanarum annorum fit revelanda, atque ita *gratiam Dei cum ejus judicium conferendo: judicium septuaginta annos, gratiæ & misericordiæ, septuaginta septimanarum annos*, hoc est annos 490. attribuit, sicque docet *miseri cordiam Dei, judicium ejus septuplo superare*, & magnitudinem gratiæ, magnitudinem calamitatum omninò absorbere. Venturum enim post septuaginta annorum septimanas, durante adhuc populo & urbe, *Messiam Dominum*, qui peccata per mortem suam sit expiaturus, & aboliturus, justiciamq; coràm Deo valentem & æternum permanentem adducturus &c.

Agitur itaque in hac promissione,

1. De *Messia*, quod apparet

a. Ex *aperta ejus designatione v. 25. usque ad Christum antecessorem fore septimanas septem, & septimanas sexaginta duas, v. 26. iterumque post septimanas illas sexaginta duas, Christum ex-cisum iri.*

b. Ex v. 27. ubi de *Messia* dicitur, quod *corroboraturus sit fedus, & in medio septimana abolitum iri sacrificium.*

2. *Septimana*, quarum hoc loco mentio fit, non sunt septimane dierum, sed annorum, de quibus etiam Levit. 25. 8. & Ezech. 4. 6.

3. De initio & sine septimanarum, non necesse est, ut nos tor-
queamus: undecunque enim illarum sumatur initium, sive ab anno
primo Cyri, qui Judæis in Patriam redeundi, & urbem atque tem-
plum reædificandi licentiam & libertatem dedit: sive ab Anno se-
cundo Darii Nothi, sive ab anno septimo Artaxerxis Longimani,
sive aliunde, sole meridiano clarius est, eas jam diu præterisse, adeo-
que Messiam jam pridem exhibitum esse. Confer Justi Soldani Ar-
cam federis Part. I. pag. m. 395. seqq. & Mulleri Judaïsmum. pag. m.
291. seqq.

*Ad. Templum secundum, cum Christus nasceretur, adhuc ste-
terat, solo jam æquatam, & planè dirutum.* Templi secundi singularis
hæc prærogativa fuit, quod major fuit gloria hujus, quàm prioris. Hagg. 2.
v. 10. quia scilicet Messias Princeps pacis, præsentia sua hoc coho-
nestavit, quando in hoc, Puer duodecennis, cum omnium admiratio-
ne, docuit, iterumque frequentissimè, cum publicum docendi mini-
sterium, Anno ætatis trigésimo, aggressus fuisset: quin & idem à
Pharisæis profanatum, magno zelo reformavit. Luc. 19. 45. *Qua Judæi
de Templo Herodiano objiciunt, quasi fuerit tertium Templum, falsissimum
est.* Nullum unquam tertium Templum Hierosolymitanum fuit:
sed Templum Herodianum fuit secundi, per Zorobabelem extructi,
ab Herode facta renovatio.

Qualiacunque autem ornamenta, in Templo ab Herode restau-
rato fuerunt, non potuerunt tamen æquare, multo minùs superare
gloriam Templi Salomonici, quia potissima Templi Salomonici de-
cora, in Herodiano hoc defuerunt. Vide supra pag. 656. Et tamen
gloria Templi secundi major dicitur, quàm prioris Hagg. 2. 10. Necesse ergò
est, sub Templo secundo, singulare aliquod Dei donum adfuisse,
quod & Arcam & Urim & Thummim, & Spiritum Propheticum,
& quicquid in primo Templo abundè refulsit, non modò abundè
compensaret, sed & longè superaret; maximè cum hoc ipsum tem-
plum sæpiùs etiam fuerit contemneratum, direptum & expilatum ab
Antiocho, Pompejo, Crasso &c. *Gloriam verò hujus Templi longè maxi-
mam, gloria prioris Templi longissimè præferendam, Propheta Haggæus di-
fertè exprimit, quando ait v. 7, 8. Deum commoturum calum & terram,
mare & siccum, omnesq; Gentes, & tunc venturum desiderium omnium Gentium,
cujus gloria domum istam repletura: adveniente nempe repente in Templum
suum Domino, & Angelo federis Malach. 3. 1. qui solus fuit Dei & Mariæ
filius, Jesus Christus, in quo benedicendæ erant omnes Gentes.*

ee. *Ultima jam fuit Mundi ætas cum Christus nasceretur, quia annos jam ferè 4000. steterat. Hinc ipsorum Rabbīnorum & Thalmudistarum pro adventu Messīæ testimonia non desunt, qui ultimum illi tempus quoque destinant, & Mundum, in libro Massechet Sanhedrim, Capite Helek, ita partiuntur: Sex millia annorum durabit Mundus, duo millia inane: duo millia lex, & duo millia Messias. De veritate sententiæ hujus Rabbīnicæ jam nihil disputo. Sed eam saltem Judæis convincendis adduco, qui Messiam adhuc expectant, & ex propria tamen ipsorum Rabbīnorum chronologia, Messiam jam venisse, convinci possunt.*

g. *Ad locum pergimus Nativitatis, educationis, & Doctrina Messie.*

aa. *Locus Nativitatis Messie designati, Mich. 5. 2. vide supra, pag. 1104. seq. Allegarunt hunc locum Pontifices & Scribæ, Matth. c. 2. v. 4. 6. Herodi sciscitanti, ubi Christus nasci debeat? Atque in hoc ipso loco natus est, admirabili Dei providentiâ, matre ejus per Augusti decretum Bethlehemum evocatâ.*

Bethlehemum hoc jam ante annos plus minùs 1600. desolatum & penitùs eversum est. Helena quidem Mater Constantini M. Templum magnificentissimum, in loco in quo Christus natus dicebatur, & Paula prædives & nobilis fæmina, quatuor monasteria, & aliquot pro peregrinantibus hospitia, ibidem extrui curâsse dicuntur, quæ tamen à Saracenis iterum sunt vastata & solo æquata, ut hoc tempore nonnisi pauca quædam & vilia Arabum tuguriola ibi spectentur.

bb. *Locus educationis fuit Nazareth, unde Nazarenus dicitur, non tam ex voto Nazareatus, quàm ex loco educationis & habitationis. Luc. 4. 16. c. 2. 51. Unde Nazareth Patria ejus dicitur Matth. 13. 54. vide supra pag. 509. seq. & Ravanelli Tom. 2. p. m. 352.*

cc. *Locus Doctrina Messie, debuit esse & fuit*

* *Galilea Gentium. Esa. 9. 1, 2. Confer Matth. 4. 14-16.*

** *Templum secundum. Hag. 2. 4. Gloria hujus externa nihil fuit, collata cum gloria Templi prioris Salomonis: nihilominus tamen gloria hujus posterioris v. 10. major dicitur futura, quàm prioris, quia Dominus ipse in hoc templum suum Malach. 3. 1. venturus dicitur, Mal. 3. 1. Impletum utrumque hoc vaticinium in Christo, cùm infans præsentaretur Domino. Luc. 2. 27. cùm Puer duodecennis in illo doceret. Luc. 2. v. 46, 49. & cùm publicè officio docendi in eo functus esset. Joh. 3. 2. Luc. 19. v. 45.*

h. *Miracula grandia Messiam operaturum Esajas prædixit c. 35. 5. 6. Tunc aperient se oculi caecorum, & aures surdorum patrescent, tunc saliet claudus velus*

us velut cervus &c. Operatus fuit Christus talia innumera in historia Evangelica, & cum primis Discipulos Johannis ad hæc ipsa, tanquam infallibilem Messiaë notam, remisit, Matth. II. v. 4, 5. Itæ & remanentia Johanni, quæ auditis & videtis. Cæci visum recipiunt, &c.

1. Messiaë passionem, mortem, resurrectionem, ascensionem in caelos, sessionem ad dextram Dei & effusionem Spiritus S. super Apostolos, Prophetæ V. T. manifestissimè prædixerunt.

αα. Passionem & omnes illius partes.

Prodicionem Judæ, Ps. 41. 10. vendicionem triginta argenteis. Zach. 11. 12. Proditoris desperationem, & mortem suspendio attractam. Psalm. 69. 23, 24. Ps. 109. 8. Reliquorum discipulorum fugam & dispersionem. Zach. 13. 7. dira passionis cruciatus. Esa. 53. 3. seqq. Crucifixionem. Num. 21. 9. Psalm. 22. 17. Latronibus connumerationem, Esa. 53. 12. acetæ & fellis potum. Ps. 69. 22. Manuum & pedum perfossionem. Ps. 22. 17, 18. Mortem. Dan. 9. 26. lateris apertionem Zach. 12. 10. osium non confractioem, Exod. 12. 46. vestimentorum per sortem divisionem. Psalm. 22. 19. sepulturam honestam. Esa. 53. 9. Descensum ad inferos. Psal. 18. 6. Hæc omnia & plura hujusmodi in nullo alio, quàm in Jesu Nazareno, Servatore Bethlehemi nato, ad unguem esse impleta tota N. T. historia luculentissimè testatur.

ββ. Messiaë, Jesu Christi Nazareni, resurrectionem à mortuis, David Psal. 16. 10. Esa. 53. 10. & Hoseas 6. 1, 2. manifestè prædixerunt. Resurrexisset autem Christum à Judæis crucifixum, tertio die à mortuis, testes habemus Deum ipsum; terram ingenti motu concutientem, Matth. 28. 2. Angelos lapidem ab ostio sepulchri remouentem, & milites terrifico aspectu prosternentes. ibid. v. 11. Pias mulierculas Apostolorum vigilantiam antevertentes & resuscitati Christi Evangelium illis primùm annuntiantes. Joh. 20. 18. Marc. 16. 9. Apostolos, testes à Deo ad hoc designatos, ut resuscitatum Jesum Mundo prædicarent, Actor. 10. 41. Ipsos Christi hostes, milites sepulchri custodes. Matth. 28. 11. Flavius Iosephum, qui l. 18. c. 4. Jesum virum sapientem, si modò virum dicere fas sit, à Principibus populi morti traditum, tertiâ die vivum apparuisse, testatur.

γγ. Messiam ascensurum in caelos, Ps. 47. 6. Ps. 68. 19. Zach. 14. 4. prædictum est: Sessurum item ad dextram Dei. Ps. 110. 1. Regni illius nullum futurum finem. Mich. 4. 17. Dona super fideles effusurum, Psal. 68. 19. cum primis super Apostolos. Joel. 2. 28. Quæ omnia in solo Christo Virginis Mariæ filio Θεου & υἱοῦ N. Test. scripta evidentissimè testantur.

SSSSSS

II. Ex

II. Ex patefactionibus singularibus, Jesum Nazarenum, Bethlehemi natum, promissum olim Patribus & tandem præstitum esse Messiam, etiam probamus, & quidem ex patefactione

a. Per Angelos facta. In textu nostro v. 11. Angelum habemus anum: in sequentibus v. 13. seq. totum exercitum caelestem, Deum laudantem & hominibus exhibitum Messiam gratulantem. Luc. 1.30. Angelus B. Virgini, Messiae hujus in utero ejus virgineo conceptionem annuntiat. Christum Messiam, in passionis suae exordio subtristem Angelus consolatur. Luc. 22.43. Angeli serviunt illi à Satana tentato. Matth. 4.11. à mortuis resuscitato. Joh. 20.12. In caelos ascendent. Act. 1.10.

b. Per Homines pios & sanctos, Zachariam & Elisabetham, Luc. 1.42.67. Mariam Virginem. Luc. 1.46. per Josephum. Matth. 1. v. 22. per Pastores. Luc. 2.15. per Simeonem Luc. 2. 28. Hannam Prophetissam Luc. 2.36. per Magos Matth. 2.1. seq. & quotquot in Evangelica historia Christum, filium Davidis, Prophetam magnum & Messiam aperte sunt confessi.

c. Per Johannem Baptistam. Joh. 1.19, 29, 33.

d. Per ipsum Deum Patrem calitus testantem. Matth. 3.17. & 17. 5.

e. Christus Jesus ipse, seipsum expressè *Ἰεσὺς Χριστὸς*, & Messiam Mundi profiteretur. Apoc. 2.28. Act. 9.4, 5, Apoc. 1.8. c. 22. 13.

f. Spiritus S. Apostolos donis suis instruxit, & toti Mundo testari docuit, Jesum Christum esse Dei filium, & Messiam Mundi.

g. Petrus Apostolus, Jesum filium Dei viventis Matth. 16. 16. professus, & Act. 2.36. à Deo resuscitatum, Messiam esse declaratum. Sic Paulus & ceteri Apostoli, in hoc unum fuerunt intenti, ut Evangelii præconio demonstrarent, Jesum esse Christum Servatorem Mundi. Actor. c. 17. v. 3. seq.

h. Innumeri Confessores & Martyres Christum sunt confessi, quos tyranni crudelissimi per atrocissima tormenta, & ipsius vitae facultatunque direptionem, ed adducere, ut Christum Messiam & Servatorem suum abnegarent, non potuerunt.

En, Dilecti, hæc omnia scripta sunt, ut credamus Jesum Christum illum, filium Dei & hominis, & ut credentes vitam habeamus per nomen ejus. Joh. 20.30, 31. qui principalis est totius Sacrae Scripturae scopus & finis.

Usus Informativus.

1. Jesus Christus, verus Mundi Messias, & nobis, qui damnationem
meriti

meriti eramus, natus Servator, totius Scriptura S. Veteris & Novi Testamenti nucleus est, & unicus æternæ salutis nostræ ἐργαστήριος, assidue in Scriptura sacra, juxta proprium ipsius monitum, quærendus.

Christum jam in Paradiso, in arbore vita, quæ Sacramentum federis operum fuit, invenimus, quia etiam post lapsum vera nobis vitæ arbor est. Apoc. 22. 14. Invenimus illum in Protevangelio Gen. c. 3. 15. & quidem natum, passum, mortuum, resuscitatum, ad dextram Patris exaltatum: invenimus illum in primis pelliceis Adamo factis vestibus, in sacrificio Abelis, in invocatione Nominis Dei tempore Sethi, in sacrificiis Noachi, Abrahami, Isaaci, Jacobi, in toto cultu Levitico, & in omnibus Prophetarum vaticiniis. Act. 3. 21. & c. 10. 43. Hic solus certa nostra salus. Act. 4. 12. Matth. 1. 21. Hic bonum nostrum est, in Evangelio nobis prædicatum, in Sacramentis obsignatum, fide salvifica à nobis apprehensum. Hic vitam æternam, quæ unica in vita & morte consolatio nostra est, solus nobis peperit.

II. Hanc promissi Messiae exhibitionem, prædicationem & patefactionem, longè maxima rerum in mundo secuta est mutatio.

A. Sublata est Politia Judaica Ecclesiastica atque Politica,

α. Ecclesiastica: nempe sacrificia Levitica, & totus cultus ceremonialis. Dan. 9. 27. In medio septimana ipsius abolebit sacrificium & munus: quia nempe Deus ita voluit, hinc Justinus Martyr in Dial. cum Tryphone Judæo: Cessare debuerunt demùm in medio ultima septimana Gabrielis, hoc est tempore everendi Templi, in quo sacrificia offerri solebant, idq̄ non sine causa: non enim oportebat auferri significantia sacrificia priùs quàm illud, quod significatum fuerat, confirmatum esse contestatione Apostolorum prædicantium, & fide credentium Populorum. Huc facit illud Jeremiæ vaticinium c. 3. 16. Temporibus illis non dicent amplius, Arca federis Jehova, neque veniet in animum, neque recordabuntur ejus, &c. Hinc Apostoli molestas Ceremonias Legales in Concilio Hierosolymitano abrogârunt. Act. 15. 10. 28. Confer Col. 2. 17. Huc faciunt Christi in cruce proclamatio, Consummatum est: & raptum Templi velamen in morte Christi, quo toti Populo significatum fuit peccata jam esse dimissa, & onus legale sublatum.

β. Politica. Quia Messias è Judæis oriundus fuit, Respublica illa ante ejus in carnem adventum destrui non potuit. Jam verò, postquam terra, quam incoluerunt, Patribus illorum possidenda à Deo tradita, eos evomuit, & ipsi palabundi, ludibrium omnium Gentium per totum Mundum dispersi, sine Lege & Rege, sublati Tribuum & familia-

rum distinctionibus atque genealogiis, extinctâ cumprimis genealogiâ Tribus Juda, & obscuratâ jam ante 1600. annos familiâ Davidis, oberant, quis non videat, illa omnia clamare: Messiam jam venissè, nec ulterius expectandum esse? quæ si misera Gens attentius pensitaret, utique ex misero suo statu errorem atque perfidiam suam agnosceret. Jam ante ultimum Hierosolymæ excidium, satis per Apostolorum doctrinam fuerunt convicti, Jesum esse Christum, Patribus ipsorum promissum Servatorem, nec tamen ut illum reciperent, & in ipsum crederent, adduci poterunt, hinc Paulus illos alloquitur Act. 13. 46. vobis necesse fuit primùm exponi sermonem Dei: postquam autem illum repellitis, & indignos vos ipsos discernitis vitâ aternâ &c. Memorabilia sunt duorum Judæorum, Flavii Josephi, & Theodosii, de Christo Messia testimonia, quorum tamen uterque, etsi veritatis in animo suo convictus, in Judaico errore, & superstitione obstinatè & pertinaciter perseveravit.

Testimonium Theodosii jam suprâ ex Mornæo, pag. 982. 983. adduxi.

Flavii Josephi testimonium legitur l. 18. Antiquit. c. 4. Eo tempore fuit Jesus, Vir sapiens, si tamen Virum eum fas est dicere, erat enim mirabilium operum patratior, & Doctor eorum, qui libenter vera suscipiunt, plurimosq; tam de Judæis, quàm de Græcis, sectatores habuit. Christus hic erat, quem accusatum à nostra Gentis principibus, Pilatus, cum addixisset cruci, nihilominus non destiterunt eum dirigere, qui ab initio cœperant. Apparuit enim eis in tertia die vivus ut divinitus de eo vates hoc, & alia multa miranda prædixerant, & usque in hodiernum diem, Christianorum genus ab hoc denominatum non desicit.

Sed hæc justissima pœna est obstinata Judæorum pervicacia, quam Deus immittit. Deut. 28. v. 28, 29. æqualis illi quæ in agmine Antichristiano cernitur. 2. Theff. 2. 11.

B. Inter Gentiles cæsârunt oracula Deorum. Hinc Apollo interroganti Augusto, quis post eum regnaturus esset? respondit: *Puer Hebraeus Deus beatus imperans, jubet me has ades relinquere, & statim in Orcum abire: ceterum abi tacitus ab aris nostris.* Hinc Aram in Capitolio Augustus extrui curavit, cum inscriptione, *Ara primogeniti Dei.*

Strabo narrat, Sacerdotes Delphicos, eo quoddam Oraculum exaruisset, ad mendacitatem fuisse redactos. Et Dion Cassius, idola in Capitolio Romano omnia unâ nocte fuisse colliquefacta.

Plutarchus libellum eo tempore de defectu Oraculorum conscripsit, in quo narrat; Epithersem Echinades Insulas præternavigantem, voces cum sociis ex quadam Insula audivisse, nuntiarent, magnum Pana mortuum esse,

esse, quam vocem multi gemitus, lamenta & ejulatus consecuti sint. Imperatorem Tiberium, his auditis, Philosophos percunctatum esse, quis Pan ille esset? qui significarent, in Diis Gentiliis primarium obtinuisse locum. Huc facit illud Augustini in epist. ad Mad. *Videtur simulachrorum Templa, partim sine reparatione collapsa, partim diruta, partim clausa: ipsaq; simulachra vel confringi, vel includi: & ipsas seculi potestates victas & domitas non à repugnantibus sed à morientibus.* Et alibi exclamat; *ubi sunt Dii vestri? ubi Propheta? ubi oracula? ubi auguria & sacrificia?*

Sed & hæc non videntur prætereunda:

a. Quod ipse Pontius Pilatus, qui in fontem Christum iniquè condemnatum crucifigendum tradidit, in epistola quadam ad Claudium Tiberium Imperatorem Rom. scripsit, eum *resurrexisse à mortuis: unde Imperator ad Senatum cum vocis suæ prærogativâ retulit: Jesum in Deorum numerum esse referendum: & quamvis Senatus Tiberii non approbaret sententiam, quia ipse consilii author non fuerat, Tiberius tamen in sententia sua perstitit.* Tertull. in Apol. Plat. de interitu oracul.

b. Pariter de Alexandro Severo scribitur, illum in Larario, seu sacrario suo *Jesum, cognomine Christum, adorasse, cujus symbolum mutuaverit: Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.*

c. Per ministerium Apostolorum & prædicationem Evangelii illorum, *Gentes ad communionem Regni Messia jam sunt vocatae, quippe qui Schilo est, cui est obedientia Populorum. Gen. 49.10. Salus Dei est, usq; ad extremitatem terra. Es. 49.6. Verus Messias, hoc est, Judæorum & Gentium Servator.* Hinc nos, qui quondam Gentiles eramus, alieni à Republ. Israëlis, Eph. 2.12. jam sumus *genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus, quem Deus sibi ut proprium vendicat.* 1. Petr. c. 2. v. 9.

Hanc Gentium vocationem ad Regnum Messia ipsi Judæi in suo Thalmud non diffidentur, sed sub parabola agnoscunt fore ut equus ad bovis claudicantis præsepium collocetur, quam R. Jacob, & R. Salomon exponentes, ajunt, Deum Judæis Legem deserentibus, Gentes substituturum: nec verò, etiamsi Judæi postea ad meliorem frugem redierint, Ethnicos idcirco abjecturum aut repulsurum, vide Morn. de verit. Relig. Christ. p. m. 493. Atque ita Messiaæ adventu, cælum, mare & siccum, juxta vaticinium Hagg. c. 2. 8. commota sunt, & longè maxima in orbem introducta est mutatio,

III. *Fides in Christum Puerulum Bethlehemiticum, vera fides est, quæ fundatur in vero Messia, à Deo ordinato, per Prophetas prædicto, typis variis adumbrato, & in plenitudine temporis præstito, quem exhibitum Angelus v.10. annuntiat: Vobis hodie natus est Servator.* Hæc sola fides Deo commendat, quia Messiam Deum & Hominem complectitur, qui solus verba vitæ habet. Joh.6.68.

Totus jam Mundus Puerulum hunc Bethlehemiticum agnoscit esse Jesum Christum filium Dei viventis Matth.16.16. Deum in carne manifestatum 1.Tim.3.16. Deum benedictum in secula. Rom.9.5. Act.10.43. Joh.20.30.1. Tim.1.15. 1.Cor.3.11. Proinde nec alius cum cæcis & obstinatis Judæis est expectandus, nec cum Idololatricis Gentilibus alibi, quàm in patefacto nobis Messia, remissio peccatorum & salus est quærenda.

IV. *A Christo Messia, nos, qui in ipsum credimus, & salutem in ipso solo querimus, CHRISTIANI, hoc est, uncti appellamur.*

Qui in Christum credebant, inde ab illius ascensione primùm discipuli appellabantur: postea verò, aucto illorum numero, Christiani. Act.11. v.26. quia sicut ipse unctus est Psalm.45.8. ita unctionem etiam Nos ab ipso accepimus. 1. Joh.2.20.27.

Hæc verò unctio non est corporalis aliqua, oleo vel simplici vel aromatico facta, sed spiritualis, effusio nempe donorum Spiritus S. non tantum communium, qualia in Impiis & infidelibus etiam observantur, sed specialium, quæ regeneratorum & fidelium sunt propria, qualia sunt illuminatio, regeneratio, sanctificatio, Esa.44.3. &c.59.21. Atque hic Christi Spiritus, hominis Christiani præcipua nota est. 1. Joh.3. v.24. Per hoc novimus, Christum habitare in nobis, nempe ex Spiritu, quem dedit nobis: per quem actiones corporis mortificamus. Rom.8.13,14. ut vivat in nobis Christus. Gal.2.20. Matth.5.16. Tit.2.12.

Usus ad Elenehum pertinacium Judæorum.

a. Qui Messiam Patribus suis promissum esse fatentur, & quotidie, ut temporibus suis venire dignetur, orant: sed quis futurus, & unde venturus sit, dubitat. Christus venit in nomine Patris sui, sed ipsum non receperunt, ab illo tempore multi venerunt in nomine suo, quos receperunt Joh.5.43. veluti Theudam & Judam ex Galilæa. Act.5. v.36,37. Barcocab, sive Ben-Cosba, Mosen Cretensem, Davidem El-david, Davidem Almufar, & nuper modò, circa annum 1665. Caram Sevy, qui tandem Turcicam Religionem amplexus fuit.

b. Qui,

b. Qui, quasi Messias nondum esset exhibitus, onera legalia revocata cupiunt, quibus similes sunt nonnulli Christiani, de quibus Augustinus jam suo tempore conquestus est, quod, quantum in ipsis est, meritum Christi evacuene.

Ufus ad Correctionem

1. Ignorantium salutis fundamentum, quod Christus est, verus Messias. Semper quidem hic ipsis in ore est, sed nulla ejus vera cognitio & fides in corde, nec imitatio in actionibus vitæ. Hi deteriores & infeliciores sunt Judæis.

2. Illorum, qui Christianorum nomen, quo Servator noster nos dignatur, fastidiunt, & nomina ab Hominebus assumunt, quales sunt Benedictini, Augustiniani, Franciscani: Lojolita non Christiani, sed Jesuita dici volunt, veteribus Carpocratianis similes, quorum quidam similes se esse dixerunt Jesu, quidam autem secundum aliquid eo fortiores, & qui fuerint distantes, amplius, quam illius discipuli, Petrus, Paulus, & reliqui Apostoli: Hos autem in nullo deminorari à Jesu. Iren. l. 1. adv. hæres. c. 24.

Quando qui Evangelium Jesu amplectuntur, & profitentur, factiosis nominibus cognominari gaudent: hoc quam maxime improbamus, & omnino studiosissime vitandum esse censemus, juxta elegantissimum B. Augustini dictum: Non ad hominis nomen ambulo: Christi nomen teneo: Perirem si essem de parte Pauli: quomodo non perirem, si essem de parte Donati? recedant omnia humana nomina. Imitemur laudabile exemplum Ecclesie primitivæ & illibate: ut à solo Christo, ductu & jussu Apostolorum 1. Petr. 4. 16. denominari gaudeamus. Gravissimi mali species est, ab alio quovis Doctore cognomen trahere: nam si Christiani se ab aliquo homine denominari gaudent: illum tanquam Magistrum videntur agnoscere, ut Aristotelici Aristotelem, Galenici Galenum, Ramæi Ramum: quod tamen sectatoribus suis Christus severè prohibet. Matth. 23. 8. Vos ne vocamini Rabbi, unus enim est Doctor vester: Christus: vos autem omnes fratres estis: ne vocemini Doctores, unus enim vester est Doctor nempe Christus. Veteris Ecclesie Doctores præclare observârunt, Hæreticorum esse & semper fuisse, à suis Ducibus nomenclaturam usurpare. Irenæus libr. 1. c. 20. Simoniani à Simone, impiissima secta Principe dicti sunt. Justinus Martyr in Dial. cum Tryph. Sunt distincti cognominibus, denominati à quibusdam Viris, ut quisq; fuit auctor alicujus novæ Doctrinæ. Ex iis alii vocantur Marcionitæ, alii Valentiani, alii Basilidiani, alii Saturniani, alii alio vocabulo, quisq; à primo inventore sui dogmatis. Lactantius lib. 4. de vera Sap. c. 30. Cùm Phryges aut Novatiani, aut Valentiani, aut Marcionitæ, aut Anthropiani,

aut Arriani, seu quilibet alii nominantur, Christiani esse desierunt, qui, Christi nomine amisso, humana & externa vocabula induerunt. Idem ex Augustino de Hæres. ad Quodvult Deum, Philastrio, Epiphanio discere licet, Graviter sanè dixit Athanasius qu. 45. ad Antioch. Fides Dei non est, qua de hominibus nomen accepit. Vide eundem etiam in Orat. 2. contra Arrian. Certè non à Beatis Apostolis Præceptoribus nostris, Ministrisq; Evangelii, Servatoris nostri nomenclationem adepti sumus, sed à Christo Christiani sumus & perhibemur. Ipsi verò, qui aliunde fidei suæ originem deducunt, merito auctoritatem suorum vocabula, puta eorum, quorum affecta sunt, usurpant. Nazianzenus orat. 36. in Matth. c. 19. Et Petrum honore profèquor, nec tamen Petrinus vocor: & Paulum, nec tamen Paulianus vocatus sum: non fero me ab hominibus ducere nomen, qui à Deo sum creatus. Ambros. in i. cap. 1. ad Corinth. Dividitur Christus, cum alii se cognominant ab illo Doctore, alii ab alio, quia gloriam ejus sibi partiuntur ut heretici, qui se Arrianos, Donatistas, Manichæos vocari non abhorrent: diversa illi de Christo tradunt. Hieronymus in Dial. contr. Lucifer. Sic ubi audietis, eos, qui sunt Christiani, non à Domino Jesu Christo, sed à quoquo alio nominari, ut Marcionitas, Valentinianos, scitote non Ecclesiam Christi, sed Anti-christi esse Synagogam. Augustin. in soliloq. Vocasti me nomine tuo, signasti me sanguine tuo, unxisti me oleo tuo, de quo unctus fuisti, ut à te Christo dicerer Christianus. Breviter & nervosè Diaconus apud Eusebium l. 4. Christianus sum, hoc mihi nomen, genus, patria, doctrina, aliud nihil sum. Atque hæc eadem B. Lutheri sententia fuit Tom. 2. Wittenb. Germ. fol. 4. Non sic, ô fatue, audi, advertas animum. Primum oro, ut nomen meum taceatur: & nemo Lutheranus, sed Christianus, appelletur. Quid est Lutherus? atque Doctrina non est mea, nec pro quoquam sum crucifixus. Sanctus Paulus 1. Cor. 3. notebat pati, ut Christiani dicerentur Paulini & Petrimi, sed Christiani. Unde igitur mihi fatido vermium sacco hoc accideret, ut filii Christi à meo vilissimo nomine denominentur? absit, ô amici. Deleamus schismatica nomina & denominemur à Christo, cujus doctrinam habemus. Sententiam hanc Lutheri approbat etiam Clariss. Vir Conradus Dietericus in Anal. Evang. in festo Stephani p. m. 24, 25. Placuit hæc fusiùs ex Scriptura & orthodoxis Patribus commemorare, quia constat hanc consuetudinem cum ignominia Ecclesiæ Dei, non sine contemptu Christi, in detrimentum charitatis, tantopote à Christo commendatæ, introductam esse, pessimoque abusu jam multo tempore confirmatam.

Ufus ad Exhortationem.

Manna suum cognoscere gestiebant Hebræi Exod. 16. v. 15. seqq. dicebantque alter alteri: מַן הַזֶּה? Quid est hoc? Sic Arabum Regina

gina 1. Reg. 10. 1. venit ad cognoscendum & ænigmatibus probandum Regem Salomonem. In ortum Davidis cum Goliatho pugnaturi, Saul diligenter inquisivit 1. Sam. 17. 55. Meritò nos diligentissimè inquirimus in Puerulum Bethlehemiicum, Salutis nostra causâ natum & ab Angelo manifestatum in verbis, *Vobis hodie natus est Servator, qui est Christus Dominus.*

Igitur

I. *Discamus salutarem Domini nostri Jesu Christi cognitionem, in qua tota salus nostra consistit. Joh. 17. 3. huic utique fini ut agnoscat, Pastoribus annuntiatur: huic fini etiam nobis prædicatur.*

a. *Agnoscamus Dei & Maria filium, Christum, Mundi Messiam, Patribus in V. T. promissum, & in plenitudine temporis exhibitum, in quo solo omnia V. T. vaticinia sunt impleta.*

b. *Celebremus ineffabilem Dei benignitatem, qui filium Messiam promissum dedit, revelavit, & meriti illius fructuum atque beneficiorum nos participes reddit.*

c. *Credamus illi & in illum solum. Terriculorum nomina è terra jam sunt excissa, aded ut non commemorentur amplius Zach. c. 13. 2. vicissim cornu salutis erectum est in domo Davidis, hoc est, in Ecclesia Christiana. Luc. 1. 69. Publicum jam asylum constitutum est, ad quod peccatoribus pœnitentibus confugere licet, & omnibus præterea pœnsis, afflictis, tentatis, Matth. 11. 28. Joh. 6. 37.*

II. *Gratias Deo agamus debitas pro exhibitio nobis Messia, Christo Domino, Servatore nostro. Apertior nunc est in N. T. & clarior salutis nostræ ratio, quàm fuit in Veteri. Habuerunt quidem V. T. fideles eandem nobiscum salutis viam Hebr. 13. 8. eandem gratiam. Act. 15. 11. eandem hæreditatem cælestem Psal. 16. 6. Clariùs tamen nobis prædicatur Christus præstitus, quàm exhibendus, Servator natus, quàm demum nasciturus: aut saltem faciliùs intelligimus, quæ de Christo exhibitio prædicantur, quàm quæ de exhibendo prædicta fuerunt: Benedictus ergò sit Dominus Deus Israelis, quod inviserit & redemerit Populum suum, & erexerit cornu salutis nobis in domo Davidis. Luc. 1. 68, 69. Nunc, tempore hoc N. T. lux ipsa Luna, est sicut lux Solis, & lux Solis septupla. Esa. 30. 26. Jam gratiam facit nobis Jehova, & effert se ad miserendum nostri. Beati omnes, qui expectant eum. Esa. 29. 18, 19.*

III. *Vivamus porò sicut veros Christianos, quibus Messias Servator est datus, decet. Vivamus dignè Evangelio Jesu Christi. Phil. cap. 1. v. 27. Coloss. 1. 10. Tit. 2. 12, 14. Christus Messias nobis à Deo Patre utensus est in Prophetam, Sacerdotem & Regem: Nos ipsi insiti ut trunco*

T r r r r r

lurculus,

furculus, ut viti palmes, unctiois illius etiam participes, vitam & succum ex ipso haurimus. Unctionem & nomen cum ipso commune habemus, qui ab ipso Christo Christiani dicimur. Demus igitur operam, ut imitatores etiam simus sanctitatis illius. Bernh. ne unquam ex corde nostro fides Christi pereat, nunquam veneratio ex animo, nunquam laus ex ore: nunquam imitatio ex actibus nostris. Ambulemus per fidem, spiremus per devotionem, operemur per charitatem. Quid enim prodesset nobis nomen, si res non inveniretur? semper illius Ignatii in ep. ad Magnel. moniti memores simus: & λέγεσθε μόνον, αὐτὰ καὶ εἶναι, ποῦ χριστιανός; non dici tantum, sed esse, facit Christianos. Et illius August. tr. 5. in Epist. Joh. Si factis non ostendis te Christianum, omnes te Christianum vocent, quid tibi prodest nomen, ubi res non invenitur? Simus ergo Christiani & nomine & re. Agnoscamus Christum, credamus in ipsum: offeramus nos ipsi, pugnemus sub ipsius ductu & presidio contra hostes anima & salutis nostrae. Imitemur sanctas ipsius actiones, non quidem inimitabiles, miracula, & quæ ad officium Mediatorium pertinent, sed illas, quæ regenitis & sanctificatis imitatu faciles sunt, de quibus Matth. c. II. 29. I. Joh. 5. 3. Simus Christiani, qui omnibus faciamus misericordiam, qui nullâ commoveamur injuriâ, qui contemnamus terrestria, ut possimus habere cælestia.

Uſus ad Conſolationem.

Vobis, ô Dilecti, hodie Servator natus est, Christus. Memento igitur, verum Christianum in summa hujus seculi infelicitate, creaturam esse felicissimam, quia enim Christianus est, Christo nato, Servatori suo unitus est per fidem: particeps quidem afflictionum illius, sed juxta quoque Spiritus gratiæ, meriti beneficiorum, & tandem plenariæ liberationis ab omni malo, perfectissimæque gloriæ cælestis. O salutarem Messia natiuitatem, quæ Diabolo caput conterit, Tyrannis metum incutit, impiis terrorem injicit: à piis verò omnem metum tollit, lætitiâ eorum animos afficit, solatiumque & auxilium affert.

A Christo sumus Christiani, ergò vocati ad communionem filii Dei, Domini nostri Jesu Christi. 1. Cor. 1. 9. unctioisque illius participes, & consequenter

a. *Propheta*, qui exercitos in Sacris acquirere debemus sensus ad discernendum bonum & malum. Hebr. 5. 14.

b. *Sacerdotes*, qui spiritualia quotidie offeramus sacrificia laudis & fructum laborum nostrorum celebrantium nomen ejus. Hebr. 13. 15.

c. Reges, qui dominemur omnibus creaturis 1. Cor. 3. 22.
Mundo, vitæ, morti, præsentibus & futuris.

Christus, Messias, Servator noster est: Nos ergo

Sumus Christi, 1. Cor. 3. 23. Marc. 9. 41.

Sumus in Christo, hoc est, ad fidem Christi conversi. Rom. 16. 5.

& comperimur in illo, non habentes nostram justitiam, quæ est ex Lege, sed eam, quæ est ex fide Christi. Phil. 3. 9.

Christus est in nobis, Rom 8. 10. Eph. 3. 17. nobiscum. Matth. 28. 20.

Et tandem nos cum illo erimus in calis. Phil. 1. 23. Luc. 23. 43. ab eo non amplius divellendi in æternum. 1. Theff. 4. 17. Et hæc de his.

Epilogus.

Magnus in terra jacebat egrotus, & magnus de celo venit Medicus Deus. Servator. Hic reparat amissam Dei imaginem, hic delet peccata: Hic tollit maledictionem, hic facit nos Dei filios & hæredes salutis æternæ. Hic via, veritas & vita est: huic serviamus toto vitæ curriculo in sanctitate & justitia. Tibi ô Messia Mundi, Servatori corporis tui, Ecclesiæ, sit cum Patre & Spiritu S. laus, honor & gloria in secula, Amen.



Libri I. Cap. XVI.

DE SERVATORIS NOSTRI
JESU CHRISTI
NATIVITATE.

CONCIO XII.

De nato Christo Domino.

Luc. 2. v. 11.

Natus est vobis hodie Servator, qui est Christus
DOMINUS.